



46
1784, 9
9
VTRVM

NOV. CXVIII. C. IV. LEGI XXVII. DE INOFF.
TESTAM. OBROGET

FRATRIBVSQVE VTERINIS
TVRPI HEREDE SCRIPTO LEGITIMA
RELINQVENDA SIT NEC NE?

DISPVATIO
SVB AVSPICIIIS REGIIS
EX DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM
ORDINIS

PRO
SVMMIS IN VTRQVE IVRE HONORIBVS
CONSEQVENDIS

DIE X. IVL. AN. MDCCLXXXIV.

PVBLICAE DISQVISIONI EXPOSITA

AB

HERMANNO LORENZ.

BREMENSI.

GOETTINGAE,
LITTERIS IO. CHRIST. DIETERICH.
ACAD. TYPOGR.



NOV. XXVIII. CIV. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.
LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.
LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.
LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.

DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.
LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.
LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.
LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.

LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.
LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.
LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.
LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.

LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.
LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.
LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.
LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.

LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.
LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.
LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.
LXXXVIII. DE. LXXXVIII. DE. LXXXVIII.



INCLYTAE
LIBERAE SACRI ROMANI IMPERII

AC HANSEATICAE CIVITATIS

BREMENSIS

SENATI
SPLENDIDISSIMO

VIRIS

*PERILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS,
EXCELLENTISSIMIS, CONSVLTISSIMIS,
AMPLISSIMIS*

DOMINIS

CONSVLIBVS

DOMINIS

SYNDICIS

DOMINIS

SENATORIBVS

PATRIAE PATRIBVS
RELIGIONIS, LIBERTATIS, ET IVSTITIAE
PROPVGNATORIBVS

MVSARVM TVTORIBVS OPTIMIS
PATRONIS AC FAVTORIBVS SVIS
INDVLGENTISSIMIS

PERENNEM FELICITATEM FAVSTISSIMOSQVE
SAPIENTISSIMORVM CONSILIORVM
SVCESSVS

PIE APPRECATVR

SIMVLQVE

HAS STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS
SACRAS FACIT
TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS
AVCTOR,

PROLOGVS.

Ardua sane est Romana de successibus ex vltima defuncto-
rum voluntate doctrina, adeo vt quam maxime tironibus,
quin et interdum veteranis, qui Themidis castra sequuntur, multum
negotii excitare dicatur; ea quippe humanarum disciplinarum con-
ditio est, vt per procedentis artis et temporis additamenta ad sui
perfectionem formatae, quo magis a naturae simplicitate recedant,
eo magis subtilitate laborent. Occupato igitur in eruendo iuris Qui-
ritium vero sensu, quod in definienda vltima morientium voluntate
versatur, si eum tot tricus nonnunquam inuolutam esse reperit, non
videatur mirum, cum totum illud testamentorum institutum a lege
ciuili proueniat, adeoque hodie pro mere arbitrario recte habeatur.
Multos olim seduxit THEOPHILVS a), qui testamenta similiter iuris
gentium esse, vti contractus et donationes, hisce contendit verbis:
Ἐθνικὸν νόμιμόν ἐστι, τὸ κατὰ πάντων ἀνθρώπων ἦγεν τῶν λελογισ-
μένως βίβην ἐθελόντων ἐπεκτεινομένων. Παραδείγματα δὲ αὐτῆ — τὸ
γίνεσθαι συναλλάγματα — δωρεάς, διαθήκας συγγράφεισθαι. *Ius
gentium est, quod ad omnes homines aut eos saltem, qui ratione volunt
vinere pertinet. Exempla autem eius sunt — vt celebrentur contra-
ctus — donationes, conscribantur testamenta.* Sed haec eius sententia

HE

a) §. 1. Instit. de Iure Nat. Gent. et Civ.

ne ex mente quidem veterum Iureconsultorum comprobari potest. Nam *CAIO b)* ius gentium dicitur, quod cum ipso genere humano proditum est, quodque naturali ratione inter omnes homines constitutum apud omnes peraeque servatur. Testamentorum vero usus cum ipso genere humano ita proditus non fuit, tunc enim ab omnibus condi possent, et satis foret per nuncupationem fieri, expressa quomodocunque testatoris voluntate; sicuti in contractibus iudus consensus absque scriptura sufficit; neque per scripturam fierent, nisi ab iis qui litteras scirent. Praeterea contra naturalem rationem est, ut voluntas hominis post mortem valere incipiat, quae omnia soluit adimitque potestatem de rebus nostris statuendi, quid de his post eam fieri velimus; liberat mandatarium auocando mandantem, nulla prorsus defuncto iura relinquit. Etenim iure naturali seu Gentium, ut Iureconsultis Romanis dicitur, omnis dominii vis et potestas in sola constituitur possessione, qua semel fato mortalitatis amissa, nullum amplius defunctorum ius et arbitrium in bonis esse potest olim suis; dominio ne ad vitam quidem, nisi possiderent, ipsis concessio; natura quippe denuo occupanti largitur, ubi amissa est possessio rei non propriae nisi iure adprehensionis, cum ex regulis iuris naturalis connati citra occupationem non detur alius quaerendi dominii modus. Egregie hac in re maiores nostri senserunt, naturam seu rectam sequuti rationem, quae dominium ex sola defuncti voluntate noluit propagari in heredes heredumque heredes, nec huius duntaxat aevi, sed et qui deinceps nascentur, hominibus relinquenda censuit industriae praemia. Audiamus *TACITVM c)*: *Heredes tamen successoresque sui cuique liberi et nullum*

b) l. 9. D. de Instit. et Iure l. 1. D. de acquir. rer. dom.

c) de mor. Germ. c. 21.

3

Nullum testamentum; si liberi non sunt, proximus gradus IN POSSESSIONE, fratres, patru, auunculi. Liberi enim Germanis, uti Romanis, condomini fuisse videntur, ut modo possessio morte parentum ad eos deuoluta ipsis adprehendenda fuerit, qualis adprehensio sine dubio facillima, quum pietas, vitae genus, habitandi denique ratio hominibus magis vniret cum illis, sicque liberi patrem proxime superuenientes vacuam adipiscerentur bonorum possessionem. Nam in statu naturali, ubi primum morte vltimi possessoris res redacta est ad causam primitiuam, quae communis erat, ita ut omnia primo cederent occupanti, merito habetur dominus, qui defuncti bona aut simul possedit aut occupauit prior. Inde et Germani non facile a natura aberrantes, si liberis orbi bona non cuius occupanti sed potius amico obuenerit cuperent, eundem data dextra per pactum successorium in rerum suarum condominium recipiebant. Neque reliquis gentibus praecipue ex septemtrione oriundis adeo magna testamentorum cura, uti Romanis fuisse, quin et in ciuitatibus, licet bene institutis, longum temporis spatium intercessisse videtur, antequam illorum usus inualuit; Athenis enim lege super his a Solone nondum lata adhuc incognita fuisse d). Nec erat necessitas, ut homines in ciuitatem coeuntes statim testamenta facerent, qualis, vsu exigente, ut contraherent, imposita. Attamen ut turbis prospiceretur in occupatione bonorum derelictorum nonnunquam obortis, legis successit auxilium, quo successionum iura, natura vel incerta vel nulla, aut saltem minus tuta, uti Ciuitati expedire est visum, paulatim sunt stabilita. Lex igitur testamentifactionem permittit atque vltima testantis voluntate ex praescripto declarata obligari voluit, quicumque commodum aliquod ex illius hereditate nansciscerentur. Equidem vnde potesta-

A 2

d) SAM. PETIT. ad L. L. Attic. lib. VI. de. VI.

tem haberent rerum suarum post mortem non amplius domini de
iisdem valide disponendi, nisi a lege? Quis voluntatem eorum
exequeretur, nisi lex assisteret? Mirandum sane, quod GRO-
TIUS, e) qui primus post renatas litteras saniora iuris naturae et
gentium praecepta tradidit, testamenta iuris naturalis esse dixerit.
Sed huius sententiae non immoramur, cui dudum viri celeberrimi,
CORNELIVS VAN BYNCKERSHOEK f) et GVNDLINGIVS g) miserunt
nuncium. Nec tamen nostrum est, quod LEYSERO h) nihilofecius
diuersa statuenti succenseamus, quin potius hancce carpendi spartam
cuilibet obuio delegamus lubentissime. Si quis autem sui instruendi
causa plura desideret, adeat, si placet, illa iurisprudentiae diuinæ
humanaeque decora, quorum argumentis, vti nobis, ita et sibi satis
factum iri confidimus. Latius enim hic exspatiaturis magnopere
verendum foret, ne quis nos termini moti reos agat; praesertim
cum totum Iurisprudentiae studium illo iuris naturalis, historiae et
quidem imprimis litterariae, artisque interpretandi, firmissimis tan-
quam columnis superstruendum esse, vnicuique nostrum satis perspe-
ctum sit. Quare et nos ex illo doctrinae testamentariae cumulo
singularem quaestionem: *Vtrum Nov. 118. c. 4. legi 27. C. de Inoff.
testam. deroget?* tractaturi, si huic quaedam generalia historiae iuris
instar praemittimus, facile veniam impetrare speramus. Nunc ad
ipsam opellam; in qua si non omni ex parte noua attulerimus, ta-
men nostrum erit aequis subiicere oculis:

Quid valeant humeri, quid ferre recusent.

§. I.

e) de Iure Belli et Pac. lib. II. c. VI. §. 14.

f) in diff. de Dominio maris c. 1.

g) in Iur. Nat. et Gent. c. XX. §. 46.

h) in Med. ad Pand. spec. 151.

Origo testamentifactionis eiusque finis.

Principio videntur obflare, quae ex antiquitate vltima repeti debent, quaeque serie non interrupta connectenda sunt inuicem, vt rei totius notitia plenior habeatur. Hisce annumeramus testamentifactionis apud Romanos originem, ex antiquo illo Deorum penatum patriumque ac domesticorum numinum conseruandorum instituto haud dubie petendam, quale iam apud Graecos extitisse, et Romulum, vrbis conditorem, ciuitatem secundum optimos quosque Graecorum ritus ordinasse, DIONYSIVS HALICARNASSEVS a) docet. Romulum enim nullas plane leges tulisse, nemini persuadebit IUSTINIANVS b), in eo tamen excusandus, quod de Numae legibus potissimum locutus, id κατὰ τὸ πλεῖστον intelligi voluisse videatur. Eleganter colligit WOOGIVS c) ex Attici responsione apud CICERONEM d) hanc religionis constitutionem non multum a legibus Numae diferepare obiiicientis, nec non ex Romulo teste DION. HALICARN. e), praecipiente, vt mulier sacrorum mariti particeps fieret, iam in regum legibus conseruationem sacrorum priuatorum fuisse sancitam. Nec parum inde iuuatur coniectura, legem a CICERONE f) commendatam: *Sacra priuata perpetua manento: in ipsis XII. Tabulis*

A 3

a) Ant. Rom. lib. II. p. 90. PII. p. 475-79.

b) Nov. XLVII. praef.

c) de heredit. sacror. priuat. §. 3.

d) de Leg. lib. II. c. 10.

e) Ant. Rom. lib. II. p. 95.

f) de Leg. lib. II. c. 9.

bulis extitisse, cum Tab. X. *de iure Sacro* et XI. *de Sacris detestandis* egisse constet. Licet enim CICERO, ut ipse monet g), ad Platonis exemplum leges quasdam conscripserit a se ferendas, si quando republicam legibus condere obtigisset: tamen accuratius perlustranti, eundem nonnulla maiorum instituta in illis proposuisse, facile erit persuasum; hoc etiam in ipsis XII. Tab. factum fuisse non est quod dubitemus. Sapienter enim Romani, Pelasgis oriundi h) in illo Corpore iuris condendo, Graeciam ut veterem patriam, cuius consuetudines adhuc servabantur, respicientes, multa quae successionem tutelamue concernerent, ex legibus Solonis et Lycurgi illi inferenda curarunt. Testamenta vero Athenis praecipue in frequenti usu fuisse animadvertitur i) introducta potissimum, *ἵνα μὴ ἐξερμαθῆ ὁ οἶκος*, ne exauguretur domus, uti Demosthenes loquitur k), neque familia testatoris extincta illi deessent qui mortuo iusta facerent. Itaque si liberis orbus esset testamento adsciscerebat, qui hereditatem una cum sacris cernerent, quae omnia pluribus exponit ISAEVS l). Factum etiam est, ut nullae testamenti tabulae scriberentur, quod in seculo ἀναλφάβητω facile contingere potuit, sed testator voluntatem suam pro concione declararet et voce nuncuparet sacrorum continuatorem, cuius rei exemplum apud PLVTARCHVM m) occurrit. Mirifice huic Atheniensium instituto Romanum morem sacra detestandi in comitiis calatis conspirare quis non videt? Auctoritas ponti-

g) *de Leg. c. 6. 7.*

h) SCIP. MAFFEVS *in Orig. Etrusc. et Lat. c. 15.*

i) ad SAM. PETIT. *LL. Attic. in HEINECC. Inispr. R. Attic. T. III. p. 577.*

k) *Orat. in Macart. part. III. p. 228. Ed. Bafil.*

l) *in Orat. de Apollod. Hevel.*

m) *in Alcibiade. p. 295. Edit. HERMANN.*

pontificum, quorum summa erat in omnibus negotiis potestas qua-
 tenus religionem et sacra concerneret, cauisse videtur, ne morte
 patrisfamilias, qui tanquam caput familiae nomine eius Diis Penatibus
 sacra faciebat, horum memoria occideret, sed potius ad eos perue-
 nirent, qui illius decedentis bona acciperent. Itaque sacris adiunxe-
 runt pecuniam, ut CICERO ⁿ⁾ a P. Scaeuola, Pontifice Maximo
 se didicisse testatur, ut conferrentur semper ac deinceps familiis
 prodantur. Vbi igitur non esset heres aut successor ad continuanda
 sacra idoneus, licuit utique Romanis, sua relinquere, cui vellent ex
 numero ciuium, qui hoc nomine vocabantur, ut coram illis testari
 possent, et mentem sibi eam et voluntatem esse vltimam de patri-
 monio in hunc illumue transferendo. Solemnior haud dubie ille
 mos fuit testandi in comitiis calatis, quod coram omni populo
 fieret, quo rei testatae memoria semper haereret et post mortem
 si qui intercedere vellent manifestae ac publicae testationi, tot con-
 tra se stare viderent, quibus aequaliter nota essent singula, de qui-
 bus defunctus in concione dixerat. Et quamuis calata comitia de
 causis adhuc maioribus indici potuissent, tamen ab initio receptum
 id ab omnibus, ut quemadmodum conuenissent in vnam ciuitatem,
 eamque tam pace quam bello copiis auxerant ac diuitiis, ita fas
 esset ac pium, coram illis testari, illis bona studio tam vario ad-
 quisita relinquere, qui cum ipsis paria sustinuerant pericula. Nec
 tamen existimandum rempublicam haecce priuatorum negotia parum
 curasse, cuius multum intererat scire ad quem mortuo patrefamilias
 sacra eius priuata peruenirent. Vnde non incongrue Iureconsulti
 Romani dixerunt, testamentifactionem esse iuris publici. Sed haec de
 Origine sufficiant; exposituris enim reliquas testamentorum species
 sine

n) *de Leg. lib. II. c. 29. 20.*

siue in pace siue in bello usitatas, nec non solemnitates subinde praescriptas longo incedendum foret agmine. Ex allatis apparet, conseruationem sacrorum priuatorum causam testamentifactionis concedendae proximam apud Romanos fuisse; eos tamen rationem simul politicae vniuersalis perpendisse ne occupatione bonorum morte derelictorum reipublicae interna turbetur securitas.

§. 2. *Quinam in testamento institui, exheredari vel praeteriri debuerint aut potuerint?*

Tam concessa testandi facultate et in dante et in accipiente quaedam legibus requirebatur habilitas, quam recentiores Iureconfulti in illo testamentifactionem actiuam, in hoc passiuam appellare solent. Prior olim ex principiis iuris Romanorum pontificii exegisse videtur, vt testator esset capax directionis sacrorum priuatorum; ex rationibus iuris publici, vt suffragium ferre posset in comitiis; ex regulis iuris Quiritium, vt esset pater familias, in alterius videlicet potestate haud constitutus. Inde patet, cur foeminis, peregrinis, seruis, quique his comparantur, capitis deminutionem maximam vel mediam passis, vitio naturae laborantibus, filiis denique familias, modo ex omnibus, modo e quibusdam inductis rationibus vel causis, ius testamentifactionis non competierit. Posterior, nempe passiuam, neque olim neque nunc adeo arctis circumscripta limitibus, dum omnes qui cui Romano succedere, suoapte vel alterius iussu hereditatem cernere poterant, instituere licebat. Peregrinis enim iisque similibus videtur obstitisse, quod nulla illis cum ciuibus intercederet cognatio, qualis inter eiusdem Reip. ciues adesse credebatur. Caeterum et liberi homines, nisi quosdam lex exem-

rit

rit a) et serui recte instituuntur; nec quoad illos vlla sanguinis habebatur ratio ex lege horren- di carminis: *Pater familias uti legasset etc.* qua amplissima Romanis ciuibus testandi facultas tributa, adeo vt non minus rata essent testam- ta, in quibus liberi a parentibus etc. praeteriti, quam in quibus instituti. Quod priuilegium sine dubio ex Lacedaemonum legibus in XII. Tabulas migravit, quae parentibus heredem nominare quem vellent permiserunt, quo magis liberos in obsequio retinerent. At prudentes aequitate moti primum in fauorem heredum suorum primi gradus, eos aut instituendos aut nominatim exheredandos, ne per obliuionem praeteriti testamentum nullum redderent, responderunt; deinde et liberis vltioris gradus reliquisque cognatis quos inter ceteros praeterire non iniquum duxerant, adinuento iure ad- crescendi, quo extraneis ad dimidiam hereditatis, suis vero institutis ad portionem virilem concurrebant, abunde prospexerunt b). Nec est quod miremur, legem XII. Tab. dedisse patri potestatem liberos praeterendi, cum dederit ius occidendi c). Credit videlicet patrem sanae mentis non venturum ad exheredandum filium, nisi magnis illius peccatis incensum, vt naturam ipsam vinceret, vt amorem eum penitus institum eiiceret ex animo, vt denique patrem se obliuisceretur. Eleganter de hoc paterno amore sequentem in modum disputat SENECA d): *Num quid aliquis sanus filium ad primam offensam exheredat? nisi magnae et multae iniuriae patientiam eius euicerint, nisi plus est, quod timet, quam quod dam-*
nat,

a) l. 5. §. 1. C. ad L. Inl. Maj. l. 8. C. de Hered. Instit.

b) pr. Instit. de Exhered. lib.

c) l. 11. D. de Lib. et posth. her. instit.

d) de Clementia lib. 1. c. 14.

nat, non accedit ad decretorium sylum: multa ante tentat, quibus dubiam indelem et peiore loco iam postam reuocet, simul deplorata est, iam ultima experitur. Voluit igitur lex, patris, quod de eo bene speraret, esse arbitrium exheredandi filii.

§. 3.

Licentia vero exheredandi ac praetereundi quibus idem sanguis est introducendae portioni legitimae causam praebuit.

Sed cum testatores, quorum iudicium delinimentis et infligationibus malorum hominum nonnunquam corrumpi accidit, maligne de iis iudicarent, quos habebant sanguine coniunctissimos, onusque eos alendi interdum necessario redundaret in rempublicam, primum centumuirale iudicium a), cui praeerat Praetor urbanus et coram quo controuersiae de successione olim disceptabantur b), cuius rei exemplum adest in famosissimo illo iudicio Curiano c), huius modi testamenta, si exheredati se bene de testatore meritos et iniuriam ab eo sibi factam probarent, ceu impia et ingrata, ut CICERO in Verrinis vocat, haud raro rescindere solebant d). At his Centumuirorum iudiciis, quae in testatorum heredumque mores aliquam quasi censuram exercuisse videntur e), humana ingenia callido sic fraudem fecerunt commento. Quum enim amicos legatis honorare nusquam prohibitum fuerit, totum quippe patrimonium ex lege XII. Tab. exhauriri poterat, quam licentiam lex Furia et Voconia subinde

a) l. ult. C. de Petit. hered.

b) Cic. de Or. lib. 1. c. 38. 39. Valer. Max. lib. VII. c. 7. Plin. Epist. lib. V. l. et VI. 33.

c) PÜTTMANNI progr. de Iudic. Curiano,

d) Valer. Max. l. c.

e) SICCAMA de Iudic. Centumuir. HOTMAN. de Magistr. Rom.

inde latae coarctare frustra laborauerint: testatores hereditatem liberis, parentibus reliquisque proximis cognatis non adimebant praetercundo vel exheredando, quoniam erat in promptu testamenti rescissio, sed institutis illam legatis ita distribuebant, ut penes eosdem fere nullum remaneret commodum, nec, si religioni ducerent testatorum arbitria respuere ac desituere et sic potius ab intestato petere, hereditate semel ex testamento adita, licet in minima parte scripti, villo modo conquiri possent. Laudat propterea VALERIUS MAXIMVS *f*) quandam Afraniam, quae cum sorore sua sacramento contendere noluit, testamentumque matris patientia honorare, quam iudicio conuellere satius esse duxit; eo se ipsa indigniorem iniuria ostendens, quo eam aequiore animo suslinebat. Sequenti tamen tempore istam praetercundi et exheredandi absque vlla causa licentiam, qua saepe numero ad summam redigebantur inopiam, quos caros habere et tueri ipsa natura suadet, legislatoria compefecit potestas, positoque in naturali obligatione alimentorum fundamento, primum in gratiam liberorum partem testamento iisdem relinquendam lege definiuit, quae exinde portionis legitimae nomen accepit. Hinc modo debitum bonorum subsidium *g*), modo debitum naturale *h*), nec non debitum secundum naturam *i*) vocatur. Sancitum quoque, ut parentes vel inuiti ad praebenda liberis alimenta captis pignoribus cogerentur *k*), cum neque boni neque liberalis parentis sit, quem procrearit et eduxerit, eum non vestire et ornare, praesertim cum locupletem se negare non possit. Deinde et liberis, ut parem vicem parentibus

B 2

repen-

f) lib. VII. c. 3. ex. 2.

g) l. 5. C. de Inoff. donat.

h) l. vn. pr. C. de Impon. lucr. descet.

i) Nov. 1. praef. §. 2. Nov. 115. c. 3.

k) l. 5. pr. §. 1. 2. 10. D. de agn. et alend. lib. l. 3. §. C. cod.

rependant, iam ex interna obligatione atque vi gratitudinis obstricis, quam ARISTOPHANES l) eleganter νόμον πελαργυρόν vocat, Romani iuris architecti iniungere m), vt parentes, quibus omnes annumerantur, qui generis principium sunt, alerent, etiam si nihil amplius ab iis sperare possent. Nemo tamen existimet, portionem legitimam, quatenus vt certam quantitatem pietatis atque amoris officio relinquendam Romani legislatores censuerint, esse tantum iuris naturalis interni; tunc enim quis non partem sed totam hereditatem sanguine sibi coniunctis deferri voluisse praesumeretur, vt recte monet CHIFFLETIVS n), innuente PAVLO o) quod ratio naturalis quasi lex quaedam tacita liberis parentum hereditatem addicat, veluti ad debitam eos successionem vocando. Etiam inconcinna foret appellatio *legitimae*, si eam iuri naturali tribueremus, cum huiusmodi vocabulum non facile aliis, quam quae iure Civili introducta sint, inditum esse reperiatur. Itaque cum naturalis ratio neque omnia omnino bona liberis parentibusque relinquenda absolute praecipiat, neque alimenta ex obligatione naturali interna ipsis debita ab illa determinentur, conducere Romanis legislatoribus visum est, certam quantitatem loco alimentorum relinquendam definire, sicque aliquid in medium asserere, quo et liberorum parentumque necessitatibus et testatorum libertati de bonis suis disponendi prospiceretur. Quod vero ad fratres reliquosque cognatos attinet, pium quidem existimandum, iisdem si inopes sint, alimenta non denegare; sed cum fratrum gratia interdum rara sit, neque tamen adfectibus humanis adeo indulserint Romanae leges, vt vel turpem personam

l) in *Avibus*. Edit. *Burm.* p. 786.

m) l. 5. §. 13. 16. *D. de agn. et al. lib.* l. v. 2. *C. eod.*

n) de *Part. legit.* c. 3.

o) l. 7. pr. *D. de bon. damn.*

personam fratri sororivae praeferrere permitterent, vno tantum casu partem bonorum fratribus sororibusque germanis et consanguineis vltima voluntate assignari praescripserunt; caeteris vero, qui sunt vltra fratrem VLPIANVS p) suadet, ne se sumtibus inanibus vexent, cum obtinere spem non habeant.

§. 4.

Quae quidem legi Gliciae probabiliter, non vero ipsa de inoffiioso testamento querela, adscribi potest.

Certam bonorum partem ex legis praescripto liberis a parentibus, hisque ab illis, nec non casu quodam fratribus et sororibus a se inuicem in testamento ad submouendam omnem controuersiam relinquendam esse diximus. Iam quaeritur, quanam quantitas et ex qua lege? Illa quidem initio in mero Centumairorum arbitrio posita fuisse videtur, qui cum saepe res ex aequo et bono terminaverint, procul dubio magis honestatis atque officii, quam iuris rationem habuerunt a). Deinde vero eandem lege definire placuit, uti vel ipsa eius denominatio, quum *legitima* appellari soleat, originem docere potest. Ast cuiusnam legi adscribenda sit, magnopere inter elegantissimos iuris interpretes disceptatur; vbi coniectura CUIACII b) qui sol iurisprudentiae et oculus Themidis acutissimus audit, non omni prorsus destituitur fide, si illam ducto ex inscriptione l. 4. D. de Inoff. testam. argumento lege Glicia introductam esse opinatur. Huic tamen legi inter complures alios status controuersiam mouerunt, viri non minus iurisprudentiam elegantio-

B 3

callen-

p) l. 1. D. de Inoff. testam.

a) Valer. Max. l. 6.

b) lib. XIV. Obs. 14.

callentes, FRANC. HOTMANVS *c*), CORNELIVS VAN BYNCKERSHOEK *d*), ABRAH. WIELING *e*), HEINECCIUS *f*), adeo vt praeter PANCIROLV M *g*) et MARANVM *h*) non multi reperiantur, qui illi patrocinari velint. Omnes fere CUIACIO occinunt, ignobilem et obscuram penes historicos pariter atque Iureconsultos *Gliciorum* esse gentem, neque si ex illius sententia *M. Claudio Gliciae* dictatori, apud LIVIVM *i*) et SVETONIVM *k*) commemorato, licet ne ipsi quidem historici in eius nomine conspirent, haec lex adscriberetur, existimandum, eam magis nomine familiari quam gentilitio, vtpote *Claudiae* esse insignitam; neque VALERIVM MAXIMVM *l*), vbi de testamentis ratis atque rescissis egerit, eius facere mentionem; argumentum vero quod ex sola Florentina l. 4. D. de Inoff. test. inscriptione sumeretur admodum fragile iudicandum, cum lectiones antiquissimorum Codicum sibi valde aduersentur, nunc *Litiam* nunc *Leuticam* vocando, quin immo optimae secundum Florentinam, nimirum *Vintimilli*, *Hugonis a Porta* et *Sennetionorum*, constanter omnes haberent: *Maximus ad Leg. Falcidiam*, cuius ex eodem opere etiam in l. 125. D. de Legat. I. extaret fragmentum. Sed salua adhuc res est. Nobilitas enim aut ignobilitas auctoris legem rogantis huius existentiae et valori nil detrahit, cum multa in

iure

c) in Enumerat. leg. Rom. et in diff. de quarta legit. c. 1. §. 6.

d) Obs. lib. II. c. 12.

e) in Invisprud. ressit. p. LXXXVI.

f) Antiq. Iur. Rom. lib. II. 13. §.

g) Var. Lect. lib. II. c. 23.

h) ad tit. D. de Inoff. test. p. 227.

i) Epit. lib. 19.

k) in Tib. c. 2.

l) l. c.

iure Rom. disposita inueniamus, vbi auctorum nomina vel plane intercederint vel saltem incerta sint; multi alioquin ignobiles ideo inclauerint, quod illorum instituta et res pace belloque gestae ad nos peruenerint, ceiebre potius *Gliciorum* nomen Romae fuisse ipse *HEINECCIUS* l. c. concedit. Minus recte quoque ipso monente *CVTIACIO* l. c. contenditur, nullam legem ex auctoris cognomine fuisse dictam, cum leges *Peducaea*, *Norbana*, *Poppaea* rogantium nomine familiari, non gentilitio vocatae, contrarium probent. Deinde exempla, quae *VALERIVS MAXIMVS* l. c. exhibet, lectioni Florentinae non adeo magnum inferunt praecudicium, siquidem ex eo quod res huic vel illi auctori in mentem non venerit, prono non fuit alio eam non extitisse; praesertim cum laudato scriptori animus fuerit, quaedam solummodo nobis enumerare testamenta, quae propter nefariam praeteritionem aut iniustam exheredationem eorum, quos vltima voluntate honorare fas erat, vel penitus rescissa fuerint vel nihilominus rata manserint; magisque commemorare, quid factum sit, quam quid fieri debuerit, ne rescinderentur. Suspectam sane reddunt Codices antiquissimi inscriptionem Florentinam; non est tamen cur eam ceteroquin optimam derelinquamus et legem *Gliciam* in defectu auxiliariorum reiiciamus vt spuriam, aut nobis arrogemus atras vbique dispellere nubes. Legem illam, quicumque vel eius auctor fuerit, nonnulla de vltimo parentum iudicio liberos aut praeterentium aut iniuste exheredantium statuiffe, adeoque testamentariam fuisse, ex ipsis l. 4. *D. Inoff. testam.* verbis colligi potest. Itaque cum libera republica neque institutionis aut exheredationis forma respectu parentum et liberorum, neque certa quantitas alimenterum loco relinquenda in vlla alia lege inueniatur determinata, *Gliciae* vero capita ad nos non peruenerint, probabilis omnino *CVTIACI* videtur

videtur opinio, originem portionis legitimae illi adscribentis. Hanc enim neque recte legi Falcidiae a *V. Cl. VAN DE WATER m)* attribui, neque consuetudine esse introductam, uti *WESTENBERGIUS n)* euincere fludet, exinde patet, quod nec sit idem ius legitimae ac Falcidiae, nec facile id quod ex magistratuum edictis prudentumque responsis descendit, *legitimum* appelletur; cui quidem non repugnat, si qualemcunque definitam lege Glicia quantitatem certis quibusdam ab intestato heredibus ultima voluntate relinquendam, ad quartam usque bonorum partem, exemplo Falcidiae, per interpretationem Iureconsultorum auctam vel restrictam fuisse opinantibus concedamus. Nam ne vlllo quidem capite legis Gliciae extante, vtrum secundum illam quadrans ex *CVIACII o)* sententia, plusve an minus, heredibus legitimis testamento obuenire debuerit, non constat; lata vero lege Falcidia, quartam partem fuisse, ex *PLINII p)* elueet verbis: *Si mater te ex quarta parte scripisset heredem, num queri posses? Quid si heredem quidem instituisset ex esse, sed legatis ita exhausisset, ut non amplius apud te quam quarta remaneret? Igitur sufficere tibi debet, si exheredatus a matre quartam partem ab heredibus eius accipias.* Hinc propter quantitaris similitudinem ipsa quoque portio legitima quartae Falcidiae nomine paulatim venire coepit *q)*; vnde et *Imp. IUSTINIANVS*, aucta portione legitima *r)*, se Falcidiam non ignobili augmento

m) *Obs. Iur. Rom. lib. 1. c. XI. p. 63.*

n) *de port. legit. diff. 1. c. IV.*

o) *ad Nov. XVIII.*

p) *Epist. lib. V. 1.*

q) *l. 8. §. 14. D. de Inoff. testam. l. 31. C. cod. l. 5. §. 3. C. ad L. Iul. Mai.*

r) *Nov. XVIII. c. 1.*

augmento auxisse dixit s). Nec mirum, quod legitima aliquoties Falcidiae nomen tulerit, quum eodem et Trebellianicam seu potius Pegasianam quartam in iure nostro insigniri contigerit t). Haec de origine portionis legitimae; sed querelae de inofficioso testamento natales ne probabiliter quidem legi cuidam adscribi possunt. Quid enim opus fuerit liberis ficto illo dementiae colore, quale commentum passim reperitur u), ad rescindenda parentum testamta, si lex antiquitus actionem tribuisset? Nititur inofficiosi querela aequitate, quae non patiebatur, vt iniquissima etiam parentum aduersus liberos iudicia nullo prorsus modo ab his possent oppugnari. Quum igitur neque Iureconfulti, neque praetores cum centumuiris iuri certissimo aperte et directo aduersari auderent, vt testamentum, quod legis vim habebat, euerterent; hinc vbi tam apertam inter strictum ius et aequitatem cernebant pugnam, Iureconfulti iniquitatem illam, cui tollendae pares non erant fictionibus atque commentis eludentes, ab ipsa lege XII. Tab. in qua libera testandi facultas vere furiosis fuerat adempta, opem petierunt, et iniuriam proprio quasi sanguini inferentes, furiosis similes, neque iis ius testamentifactionis competiisse responderunt. Quare lubenter assentimus IANO A COSTA v), CLAVDIO CHIFFLETIO w), GER. NOODTIO x) ANT. SCHVLTINGIO y), WE-

STEN-

s) Nov. XCII. praef.

t) l. 1. §. 19. D. ad Scaem Trebell. l. 11. C. ad Leg. Falcid.

u) pr. Instit. de inoff. testam. l. 2. D. eod.

v) ad Instit. de Inoff. testam.

w) de port. legit. c. 4.

x) ad D. de Inoff. testam.

y) in diff. de testam. resciss.

C



STENBERGIO α) reliquisque, qui hancce querelam Prudentum auctoritate, ipso IUSTINIANO aa) cum *inductum* tale quid esse dicat, haud obscure ad stipulante, primo receptam, usu deinde ac consuetudine stabilitam, postremo in certam formam certosque limites ab *Impp.* TRAIANO, HADRIANO, ANTONINO PIO ac demum IUSTINIANO redactam fuisse docuerunt; quin et iis inter illos qui ipsam querelam portione legitima ad illius exclusionem partim adiuventa, lege saltem Falcidia antiquiorem esse contendunt.

§. 5.

Vtraque tamen, utcumque introducta, certis tantummodo personis ex legum praescripto competit.

Sed quamvis difficile sit, ex latebris antiquae historiae penitus eruere portiones legitimae et querelae de inofficioso testamento natales, quisque tamen facile ex effectu animaduertet, solam aequitatem in causa fuisse, quae Centumuiros ac deinde Romanos legislatores impulerit ad impia atque improba decedentium testamenta per legitimos querelae tramites coercenda aut portiones legitimae vel quartae deductione suslinenda, quum suprema hominum iudicia exitum sortiri, publice expedire arbitrarentur a). Haec vero portio, cum a IUSTINIANO a) pro numero personarum aucta fuerit, nobis est pars hereditatis siue omnium bonorum certis quibusdam personis ex legum praescripto ad submouendam inofficiosi querelam in testamento relinquenda; quae si de omnibus quaeritur, quibus debetur, portio

α) de port. legit. *diff.* 1. c. 4.

aa) *pr. Instit. de inoff. testam.*

a) l. 5. *Testam. quemadmod. aper.*

b) *Nov. XVIII. c. 2.*

portio est totius hereditatis; sin de quibusdam eorum, portio portionis ab intestato debitas c). Nec referte videtur, vtrum quis illam ab vniuersa hereditate, an a solis bonis detrahendam existimet, cum nomina ipso iure sint diuisa et bona, nisi deducto aere alieno non intelligantur d). Deducendum utique est aes alienum e) quod tamen non ita accipiendum, quasi actualiter hoc casu deducatur, cum nihil aliud eo significetur, quam quod in computatione bonorum defuncti ineunda sit quoque ratio aeris alieni, vt sciri possit, quantum eo deducto portionis legitimae nomine debeatur f). Certas vero personas, quibus eam tantum relinquendam esse diximus, ipse IMP. IVSTINIANVS g) enumerat, *testantibus necessitatem lege impostam esse dicens, distribuere quandam partem personis quibusdam tanquam hoc secundum ipsam naturam eis debeat, quale est filiis et nepotibus et patribus atque matribus; interdum vero etiam fratribus et si quam huiusmodi personam, aut in iis qui ex nobis sunt, aut ex quibus nos sumus, enumerauerunt leges. Aliis autem nulla consistit necessitas partem dare quamlibet propriae substantiae: sed sua potestas eis largitur, ad quoscunque testator voluerit, praeferenda.* Nam sub primis imperatoribus eo vsque profusa iudicium in admittendis querelis fuisse videtur, vt sanguine remotiores, immo nullo fere coniuictos, si de testante se bene meritos, vel propensam eius voluntatem vix seriam olim nudis verbis prolatam rite probassent, rescisso testamento, heredes facerent; quae res, vti ex Verrinis liquet, sordidis iudi-

C 2

- c) BACHOV. ad TREVTL. V. I. disp. 13. th. 11.
 d) l. 39. §. 1. D. V. S. l. 6. C. de Inoff. testam.
 e) l. 8. §. 9. D. de Inoff. testam.
 f) §. ult. Instit. de Leg. Falcid.
 g) Nov. I. praef. §. 2.

iudicibus vberimum praeiuit quaestum. Ipsi Caesares, praesertim Caligula et Nero, reipublicae eueriores, ficto ingrati crimine, in vltima morientium iudicia grassantes, hereditatem veluti ob delictum commissum institutis eripiebant h). Quapropter et per indirectum VALERIVS MAXIMVS i) laudat Augustum, qui ratum esse permisit testamentum, quod TIB. VRBANAS condiderat, qui ab infimo militiae loco, beneficiis D. Augusti Imp. ad summos castrenses honores perductus eorumque vberimis quaestibus locuples factus, non solum caeteris vitae temporibus ei se fortunas suas relinquere, a quo acceperat, praedicauit, sed etiam pridie quam expiraret, idem illud ipsi Augusto dixit, cum interim ne nomen quidem eius tabulis testamenti adiecerit. Huic Augusti pietati et abstinentiae iterum subscripserunt Imperatores TRAIANVS, ANTONINVS PIVS, SEPTIMIVS et ALEXANDER, SEVERI et complures alii, indignum rati, bonis defunctorum inhare k), qui etiam privilegium querelae instituendae tantummodo liberis, parentibus et fratribus, in his quidem nullo vinculi aut personae institutione habito respectu, indistincte dedisse videntur, vti ex VLPIANI l) verbis colligi potest, scribentis: *Sciendum est, frequentes esse inofficiosi querelas; omnibus enim tam parentibus, quam liberis, de inofficioso licet disputare. Cognati enim proprii, qui sunt ultra fratrem, melius facerent, si se sumptibus inanibus non vexarent cum obtinere spem non haberent.* Iisdem fere verbis IMPERATORES DIOCLETIAN. et MAXIMIN.

h) SVETON. Calig. c. 38. Ner. c. 32. Domit. c. 12.

i) lib. VII. c. 8.

k) Paul. rec. Sent. lib. V. tit. 12. §. vlt. Instit. quemadmodum. testam. infirm. l. vlt. D. qui testam. fac. poss. l. 22. D. de iure fisci. l. 5. C. Theod. de Testam.

l) l. 1. D. de Inoff. testam.

MIN. rescriperunt m): *Fratris vel sororis filii, patrui vel auunculi, amitae et matererae testamentum inofficiosum frustra dicunt: cum nemo eorum qui ex transversa linea veniunt, exceptis fratre et sorore ad inofficiosi querelam admittatur.* Fratribus igitur et fororibus praeteritis vel exheredatis permillum fuit de inofficioso queri; neque in hac causa distinguebantur uterini a consanguineis. At CONSTANTINVS M. sine dubio quod liberaliores esse vellet testatorum voluntates n), praesertim vbi neque liberis neque parentibus iniuria fieret, iniquum esse iudicavit tantundem et sine vlla limitatione tribui fratribus omnibus atque fororibus, cum reliquis cognatis ac ne fratrum quidem filii nihil tribueretur, edixit o): *Fratres uterini ab inofficiosi actionibus arceantur; et germanis tantummodo fratribus, aduersus eos duntaxat institutos heredes, quibus iniustas consliterit esse notas detestabilis turpitudinis, agnatione durante, sine auxilio praetoris petitionis aditus referetur.* Quam illius constitutionem, vt tolleret ambiguitatem vocis *germanorum*, qua etiam consanguineos, quippe eodem germine prouenientes; comprehendisse videtur CONSTANTINVS, vtque iure agnationis, quod olim suos atque emancipatos intercesserat discrimen, iam ab IMPERATORE ANASTASIO p) sublato, omnia pro facultate ipsi a IVSTINIANO q) impertita suis temporibus accommodaret TRIBONIANVS, cum alia eiusdem CONSTANTINI constitutione r) conflata et interpolata, his verbis Codici repetitae praelectionis s)

C 3

iii-

m) l. 21. C. eod.

n) BALDVINVS in *Constant. M.*o) l. 1. C. *Theod. de Inoff. testam.*p) l. 4. C. *de legit. tut.*q) l. 1. §. 7. C. *de res. Iur. Encl. Constit. de nouo Cod. fac. §. 2. et Constit. de eo confirm. §. 3.*

inferuit: *Fratres vel sorores uterini ab inofficiosi actione contra testamentum fratris vel sororis penitus arceantur; consanguinei autem durante adgnatione vel non contra testamentum fratris sui vel sororis de inofficioso quaestionem mouere possunt, si scripti heredes infamiae vel turpitudinis vel leuis notae macula adspersantur, vel liberti qui perperam et non bene merentes, maximisque beneficiis suum patronum adserenti, instituti sunt: excepto seruo necessario herede instituto.* Ex hisce legibus apparet, ad quas personas restricta fuerit de inofficioso testamento querela, et quibusnam relinquenda fuerit portio legitima, vt illa submoueretur. Praescripserunt vero leges 1), vt relinqueretur primum liberis a parentibus, hisque ab illis et quidem titulo institutionis 2), quoniam vel institui vel cum elogio exheredari debent, ne praeteriti esse censeantur; tunc enim si liberi, testamentum patris, quique per eum ascendunt redditur nullum, quale vitium per legati relictionem minime sanatur; sin vero parentes, praeteriti ex parte liberorum, sicuti in omnibus, vbi respectus patriae potestatis non adest, habetur pro exheredatione, quibus tunc semper via ad querelam patet, si lege non arceantur. Equidem in matre et qui per eam ascendunt praeter defectum patriae potestatis illa quoque iuris antiqui ratio adfuisse videtur, cur liberi ab illis praeteriti testamentum non vt nullum, sed tanquam inofficiosum infirmarent, quod mater per nuptias confarreatas vel coemtas sacrorum mariti particeps facta, in manum seu potestatem mariti conueniens pro filiafamilias adeo-

que

1) l. 3. C. Theod. de Inoff. testam.

2) l. 27. C. eod.

3) l. 8. §. 8. D. l. 29. C. de Inoff. testam.

4) Nov. 115. c. 3.

que pro consanguinea liberorum haberetur, vti animaduertunt ANT. SCHVLTINGIVS v) et PETRVS PITHOEVS w). Quod vero IUSTINIANVS exheredatis quidem a patre liberis cum elogio, neque tamen iusta exheredationis causa ab institutis probata, aut ab ascendentibus maternis, hisque et paternis ab illis iniuste exheredatis aut praeteritis, legata licet portione legitima, testamentum vt inofficiosum rescindi voluerit, rationem reddit x): *Sola enim est nostrae serenitatis intentio a parentibus et liberis iniuriam praeteritionis et exheredationis auferre*; forsitan quoque respexit magna, quae ex titulo hereditatis vniuersali obueniunt emolumenta, v. c. ius adcrefcendi inter coheredes etc. y) quibus liberos et parentes cum sint inter se coniunctissimi priuare iniquum duxisse videtur, tum quia titulus institutionis illo legati vel fideicommissi honorabilior habetur z); sin vero in quacunque parte heredes scripti sint, nil interest, quo titulo iisdem relinquatur portio legitima, quippe tunc iniuria cessat, aliudque illam consequendi proditum est remedium aa). Etenim fratres, in quibus non vbiq; eadem, quae inter parentes et liberos, ratio obtinere solet, siquidem honesta persona instituta, libere in testamento omittuntur, portione legitima vel qualicumque parte, quum via ad suppletoriam similiter pateat, turpi herede scripto, illis quouis modo obueniente, ex legibus supra recitatis ab inofficiosi querela arcentur. Attamen aliud ex pristino iure ipsis remansisse videtur

com-

v) ad Caii Instit. lib. II. tit. 8. in Iurisprud. Anteiust.

w) ad Collat. LL. Mos. et R. tit. 16. ibidi.

x) Nov. 115. c. 5. p^o.

y) l. 6. D. de bon. poss. l. 13. C. de hered. instit.

z) l. 5. S. 6. D. de legat. praest.

aa) l. 30. l. 31. C. de Inoff. testam.

commodum, quod ubi semel querela fratris testamentum vicerint, plenam ab intestato efficiant successionem *bb*), cum IUSTINIANVS quoad solutionem legatorum et fideicommissorum, quae ex tali testamento debebantur, obseruante HEINECCIO *cc*), nihil fratribus iniunxerit. Subest sane quaedam aequitatis ratio, quum iis sit tenuissima querelam instituendi occasio, nempe in solo turpitudinis casu, parentibus vero et liberis amplissima, qui victoriam vel de quouis honesto herede extraneo reportant, aut coheredes in testamento scriptis fieri incipiunt, quibus idem ius succedendi ab intestato fuit. Generali vero fratrum vtentes vocabulo, ubi de rescissione testamenti vt inofficiosi agitur, germanos modo et consanguineos, quoniam vtrisque idem sanguis est, subintelligimus; siquidem strictissime legem 27 C. de Inoff. testam. qua germanorum nulla, consanguineorum modo et vterinorum veluti fratrum vnilateralium mentio fieri videtur, interpretaturi, eorum sententiae accederemus, qui a iure veteri quoad fratres germanos illis CONSTANTINI MAGNI, ex IUSTINIANI iussu interpolatis ac consutis constitutionibus non esse recessum statuunt, idcircoque etiam hodie, ni communis error in foro et scholis quodammodo ius fecisset, germanis, cuiuscunque conditionis persona siue turpis, siue honesta scripta esset heres, querelam permittendam esse, quemadmodum liberis et parentibus; at consanguineis fratribus demum, si turpis persona instituta sit *dd*). Ita sane horum modo ius in illis constitutionibus immutatum foret, non vero germanorum, quibus adhuc sine restrictione turpis personae testamentum ex causa inofficiosi aggredi liceret. Sed communis opinio, TRIBONIA-

NVM

bb) l. 28. D. de Inoff. testam.

cc) Pandect. part. II. §. 53.

dd) BUNKERSH. Obs. lib. V. c. 5. VAN DE WATER Obs. lib. 7. c. 12. p. 77.

NVM *sub consanguineorum* denominatione tanquam generali et *germanos* et *consanguineos* stricte sic dictos seu fratres per patrem unitos, propter communem sanguinem et commune familiae nomen comprehendisse, haud leui innititur fundamento. Etenim utrique erant in patris potestate eorundem sacrorum olim participes, qua coniunctione nulla arctior habebatur. At fratres uterini, in quos, uti coniecit *BAVERVS ee)* nullum opprobrium seu iniuria ex turpis heredis institutione, utpote alienae gentis homines redundare videtur, cum iis non sint uti germanis et consanguineis eadem familiae iura, a querelae institutione penitus remouentur; et qualiscunque demum ratio fuerit denegandae uterinis querelae, luce tamen clariora sunt illa *l. 27. C. de Inoff. testam.* verba, quibus in omni casu denegata est, adeoque nec legitima, quisquis vel institutus sit heres, ullo relinqui debetur titulo, sicuti nec reliquis cognatis ultra fratrem et sororem competit *ff)*.

§. 6.

Neque hoc respectu Nouellae 118. cap. IV. dispositionem legis 27. C. de Inoff. testam. directe immutasse existimandum.

Sed propius accedamus ad singularem quaestionem in fronte huius libelli propositam: *Vtrum Nouellae 118 caput quartum dispositioni legis 27. C. de Inoff. testam. obroget?* in qua determinanda, uti suadet Iureconsultus *Bisuntinus a)* ex cuius sententia *audtores allegare et non ipsum textum, est seipsum et plerumque lectorem, one-*

rare

ee) in *diff. de eo quod instum est circa formam exheredationis. §. 16.*

ff) §. 1. *Instit. de Inoff. testam. l. 1. D. l. 21. C. eod.*

a) *LINGLOIS ad L. Decif. Justiniani in praef. pag. 6.*

rare magis quam instruere, ipsa Nouellae 118. c. 4. verba subiicimus. Nullam vero volumus esse differentiam in quacunque successione aut hereditate inter eos, qui ad hereditatem vocantur, masculos ac foeminas, quos ad hereditatem communiter definiimus vocari, siue per masculi siue per foeminae personam defuncto iungebantur, sed in omnibus successionebus adgnatorum cognatorumque differentiam vacare praecipimus, siue per foemineam personam, siue per emancipationem, siue per alium quemlibet modum prioribus legibus tractabatur et omnes siue qualibet huius modi differentia secundum proprium cognationis gradum ad cognatorum successione ab intestato venire praecipimus. Haec legis verba si quis declaratiue interpretatur, quorum vbique planus et perspicuus adest sensus, recte CUIACIUM *b)* animaduertisse dicet, sublatam modo esse differentiam adgnationis et cognationis in successionebus ab intestato, adeo vt frater consanguineus aequali iure cum vterino in hereditatem fratris ab intestato delatam succedat; condito vero testamento, si turpis persona praelata nec portio legitima relicta fuerit, soli germani et consanguinei contra testamentum fratris germani vel consanguinei querelam mouere possint; de vterinorum autem fratrum successione, tabulis testamenti extantibus, altum in allegata nouella constitutione est silentium. Nam ex sola diuersa temporis ratione, quo illae leges, *l. 27. C. de Inoff. testam. et cap. 4. Nov. 118.* prodierunt, nemo sanus derogationem legis prioris subsumet; videndum potius, vtrum reuera quid noui in illo nouellae constitutionis capite sit praescriptum? Equidem nonnulla ex indole legislatorum explicari debent, vbi eos saepenumero suis alioquin praeclare institutis admodum delectari animaduertimus; tale quid humani etiam IUSTINIANO accidisse fertur, vt

NON-

b) ad *h. l.* et ad *Nov. 118.*

nonnunquam de iisdem fere rebus eadem interiecto statueret tempore et antiqua pro nouis vendicaret, nulla anterioris constitutionis facta mentione. Quod uti ex comparatione l. 34. et 36. C. de Inoff. testam. perspicitur, ita et in examinanda Novellae 118. c. 4. dispositione magis attendi debet, ubi collatis eius et l. 14. §. 1. nec non l. 15. §. 1. C. de legit. her. verbis, iam tempore interpolatae legis 27. C. de Inoff. testam. fratres et sorores uterinos reliquorum fratrum successores ab intestato extitisse et omne discrimen inter adgnatos cognatosque illo respectu sublatum fuisse, unicuique nostrum erit persuasum. Accedit quod IUSTINIANVS, observante ARN. VINNIO c), nunquam soleat quicquam de iure veteri mutare, nisi cum expressa mentione eius, quod abrogare constituit. Audiamus eum in citata l. 14. §. 1. loquentem: *In his igitur casibus legem duodecim tabularum sequentes et novum ius nouissimo iure corrigentes, etiam unum gradum pietatis intuitu transferri a iure cognationis in legitimam volumus successionem, ut non solum fratris filius et filia (secundum quod iam definimus) ad successionem patrum sui vocentur, sed etiam germanae consanguineae vel sororis uterinae filius et filia soli, et non deinceps personae una cum his ad iura auunculi sui perueniant; et mortuo eo qui patruus quidem est fratris sui filius, auunculus autem sororis suae soboli, simili modo ex utroque latere succedant, tanquam si omnes legitimo iure veniant, scilicet ubi frater et soror superstites non sunt. His enim personis praecedentibus et hereditatem admittentibus, ceteri gradus remaneant penitus semoti.* Mox uberius in subiuncta l. 15. §. 1. mentem suam explicat IMPERATOR: *Sed nec fratrem et sororem uterinos concedimus incognitionis loco relinqui; cum enim tam proximo gradu sunt, merito eos sine vlla*

D 2

diffa-

c) in quaest. select. lib. II. c. 21.

differentia, tanquam si consanguinei fuerant, cum legitimis fratribus et sororibus vocandos esse sancimus: ut secundo gradu constituti et legitima successione digni reperti, aliis omnibus, qui sunt ulterioris gradus, licet legitimi sint, praeceant. Nihil noui igitur in illo nouellae capite proposuit IUSTINIANVS, quum iam constitutionibus Codici repetitae praelectionis insertis, fratres sororesque vterinos heredes reliquorum fratrum sororumque ab intestato fecerit; sed ut ei est ingenium sua iumpense commemorare, eadem, de quibus abunde illis Codicis legis dixerat, in Nouella sedulo et prolixioribus verbis repetiit, qua neminem expresse legi 27. *C. de Inoff. testam.* derogatum esse existimaturum putamus; quippe tunc non opus foret ad hanc confugere, quum iam illae Codicis leges ad derogationis expressae probationem, si qua adesset, satis superque sufficerent. Neque excogitari posset ratio, cur Tribonianus data opera l. 1. et 3. *C. Theodos.* interpolauerit atque ex iis dictam l. 27. confecerit, si nullam ei prorsus vim obligandi IUSTINIANVS inesse voluerit? Quum igitur verba: *Fratres vterini ab inofficiosis actionibus arceantur* ex l. 1. *C. Theod. de Inoff. testam.* nonnullis additamentis aucta in leg. 27. *C. eod.* relata sint, postquam IUSTINIANVS l. 14. et 15. *C. de leg. her.* vterinos iam ad successionem vocauerat, profecto TRIBONIANVM merae antiquitatis causa illam l. 27. ad nos transmisisse, non est quod existimemus, aut huius valori propter solam recentiore Nouellae promulgationem, quum expresse illi non obloquatur, aliquid decedere statuamus.

§. 7.

Quamvis argumenta iis non desint, qui legi 27. illa Nouellae dispositione per indirectum siue tacite obrogari contendunt.

In defectu igitur legis expressae illi l. 27. C. de Inoff. testam. dispositioni derogantis, qui inter complures alios magni nominis Iureconsultos veterinis nihilominus querelam inofficiosi, turpi herede scripto nec portione legitima illis relicta largiendam arbitrantur, FRANC. HOTMANVS a) IO. ORTW. WESTENBERGIUS b) atque HEINECCIUS c) ad rationes legum siue analogiam confugiunt atque sublato per Nou. 118 c. 4. in omni successione et quacunque hereditate agnationis et cognitionis discrimine, legi 27. C. tacite obrogatum et veterinos consanguineis quoad querelae institutionem aequales fuisse redditos contendunt. Iam ipsos audiamus argumentantes et quidem primo HOTMANVM l. c. ita loquentem: *Tertium personarum ordinem fratres obtinent et sorores duntaxat consanguinei: non etiam veterini: et ita demum, si personae turpes institutae sint, l. fratris 21. l. fratres 27. C. eod. sed cum Iustinianus Nouell. 118. eam differentiam veterinorum in successione ab intestato sustulerit, probabilius est, eam hoc quoque casu sublata esse; cui sententiae WESTENBERGIUS l. c. hunc fere in modum subscribit: Conceditur autem querela et proinde portio legitima dicto casu l. 27. C. de Inoff. testam. fratribus tantum Germanis et consanguineis, non etiam veterinis. Quod ante mutatum sit, dubium est. Cum vero differentia ratione sexus l. 4. C. de lib. praet. nec non in omni successione inter agnatos et cognatos per Nou. 118. c. 4.*

D 3

subla-

a) de Quart. legit. c. 2. §. 13.

b) de port. legit. diff. II. c. 4. §. 6.

c) in Pandect. part. II. §. 51. *

sublata sit, ad uterinos secundum ius nouissimum hoc extendendum videtur. Quae illi dubitanter scripserant, HEINECCIUS l. c. paullo maiori cum fiducia commendat ac speciose deducit: *Sed posse tamen hodie et uterinos hanc querelam instituere, ducto ex Nov. CXVIII. cap. 4. argumento, merito existimamus. Id quod et Graeci videntur obseruasse. Basl. XXXIX. 56. Theoph. ad §. i. Inst. h. t. Harmonop. Promt. V. 6. 2.* Totum vero eorum argumentum illis iuris principiis: *cessante legis ratione, cessat eius dispositio; e contrario: ubi eadem ratio ibi et eadem legis dispositio: inniti videtur; hinc ubi semel sublatum fuerit adgnationis et cognationis inter consanguineos et uterinos discrimen rationem legis 27. C. ob quam uterini ab institutione querelae inofficiosi, quoniam in cognationis loco constituti, hucusque exclusi fuerant, cessare, et cum illa nouellae dispositione fratribus consanguineis quoad successionem ab intestato penitus exaequati fuerint, eandem legis dispositionem quoque in successione testamentaria adesse, sicque illos rescisso testamento, in quo turpis persona instituta neque portio legitima relicta fuerat, hereditatem ab intestato petere posse argumentantur.*

§. 8.

Haec tamen intentioni legislatoris regulisque interpretandi ac ratiocinandi repugnant.

Quam caute vero legum argumentis utendum sit, ne iuris certa principia subuertantur, neque hac in re per omnia ingenio obtemperandum, dudum mouerunt iuris interpretes; praesertim cum legem correctoriam neutiquam praesumi, notissimum sit, hinc et a iure antiquo, nisi mutatio facta luculenter demonstretur, minime recedendum, in aprico est. Siquidem Imperatori IUSTINIANO ne mentem

tem quidem fuisse, quaedam in successione ex testamento mutare, satis inde patet, quod ei in capite citato, sicuti in tota Nouella, de successione, nisi ab intestato, sermo non fuerit. Ne igitur quid de ea tractanti atque occupato in definiendo eiusdem ordine intercideret, omnia quae ad hunc pertinerent vna veluti constitutione complecti atque absoluere sibi proposuit; quemadmodum alia constitutione ^{a)} cum iustas exheredationis liberorum parentumque causas diuersis legibus dispersas comprehendisse animaduertimus. Jam ex rubro Nouellae 118. qualis intentio Iustiniano in nigro fuerit, cognosci potest, et ipse in praefatione disertis exponit verbis. Statuit nempe, vt differentia agnatorum et cognatorum in quacunque successione aut hereditate succedere deberet, sed quo rectius haec intelligantur, subiunxit: et omnes secundum proprium cognationis gradum ad cognatorum successione ab intestato venire praecipimus. Vrgent praecipue aduersarii verba: *in omni successione et quacumque hereditate*: legem generalem esse dicentes ad veterinos quoque in successione ex testamento extendendam; sed obstat, quod leges posteriores strictae sint interpretationis nec prioribus specialibus derogent, quibus et portio legitima et querela de inofficioso testamento certis tantummodo personis competit atque ad eas suo modo restricta est. Deinde etiam Imperator verbis: *in omni successione et quacumque hereditate*: diuersum succedendi ordinem respexisse videtur, quum omnem sexus, cognationis adgnationisque differentialium ab intestato vacare praeciperit. Nec credibile est, IUSTINIANVM, qui enumeratis iustis exheredationis causis et adiuuenta actione ad supplendam legitimam, quo facilius ultimae morientium voluntates exitum sortirentur, prospexit

a) Nov. 115. c. 3 et 6.

spexit ac tot constitutionibus *b)*, ne subuerterentur, sedulo cauit, querelam inofficiosi, licet post Nov. 115. non amplius infaniae colore opus sit, nihilominus in se odiosam, per indirectum pluribus concedendo personis, quam specialibus constitutionibus sancitum erat, amplificare voluisse. Neque tam facile existimasse censendus, testantium circumscribere libertatem, quam quosdam ad successionem ab intestato vocare aut paria iisdem cum reliquis iura tribuere, quum magni duceretur apud Romanos testamentifactio, adeo ut bona sibi non amplius profutura iis potius largiri, qui ea meruissent, quam intestati decedere praeferrent; et Romae maior testamenti, quam heredum legitimorum haberetur ratio, secus atque Athenis, ubi heredem extra familiam scribere non erat permittum *c)*; quare in dubio civis Romani testamentum contra cognatos conditum subsistebat atque dissentientibus de inofficioso iudicibus eorum sententia praeualebat, qui secundum testamentum pronunciaissent *d)*. Hinc multo facilius Imperatori visum quibusdam beneficium iurisdictionis ab intestato tribuere, immo gloriosius, quam vlla ex parte morientium voluntatibus inferre praecidium *e)*. Absit tamen a nobis suspicio, quasi legislativam potestatem, cum veterinos legitimos successores esse voluerit, iisdem non similiter tabulis testamenti extantibus consanguineorum iura concedere potuisse statueremus, quibus non sermo est de iure constituendo, sed constituto. *Innumera sunt, immortales ait SCHVLTINGIVS f)*, quae summa cum utilitate possent constitui,

nec

b) l. 30. l. 31. l. 32. l. 34. §. C. de Inoff. testam. Nov. I. praef. XXII. c. 2. p. 2.

c) SAM. PETIT ad LL. Attic. lib. VI. tit. VI.

d) l. 10. D. de Inoff. testam.

e) l. 35. C. eod.

f) in diff. de transact. super controu. quae ex ult. volunt. profic. §. XI.

nec tamen ideo etiam introducta sunt; ac si liceat ita argumentari, hoc vel illud aliqua ratione nititur, ergo ita iuris est, quibus etiam priuatus noua iura introducere et pro libitu vetera posset labefactare, quo ipso nihil foret absurdius. Inde non solliciti sumus, vtrum IUSTINIANVS legem 27. C. de Inoff. testam. mutare potuerit aut debuerit, sed an reuera mutauerit? quod neque directe eum fecisse, supra exposuimus, neque per indirectum siue tacite, sublato scilicet per Nov. 118. c. 4. in successione legitima adgnatorum cognatorumque discrimine ostendemus. Quod vulgo iactatur cessare legem, ubi eius cessat ratio, recte SANDIUS g) locum habere negat, si quando duarum causarum, ob quas lata lex fuit, altera cessat, remanente altera; sin quae vnica est legis ratio et in totum cessat, sine dubio cessabit lex. Iam obiicitur, cessare rationem legis 27. C. de Inoff. testam. sublato per Nov. 118. c. 4. adgnationis et cognationis discrimine, quo vterini consanguineis postpositi fuerant; hinc et portionem legitimam illis turpi herede scripto relinquendam praeteritisque aut exheredatis de inofficioso agere permittendum. Sed illam differentiam neque solam in causa fuisse, cur vterini a CONSTANTINO M. ab inofficiosis actionibus remoti fuerint, neque in totum cessasse, BALDWINVS h) et CUIACIUS i) omnia meliora docuerunt; siquidem ille probabilem denegandae vterinis querelae adduxit causam, quo liberiores scilicet essent testatorum voluntates; haec ratio libertatis testandi subsistit, etiamsi concederemus in vniuersum sublatum esse illud agnationis et cognationis discrimen, sicque legi 27. C. vtpote

con-

g) Decif. Frif. lib. II. tit. 9. def. 20. in fine.

h) in Constant. M. lib. II. pag. 306.

i) ad Nov. 84. et 118.

E



constitutioni speciali adhuc sua propter illam rationem remaneret
 auctoritas; sed ipsa iam Nouellae verba: *ad cognatorum successionem
 ab intestato venire praecipimus*: satis ostendunt, quo sensu haec
 omnia accipienda sint, et confirmant CUIACII opinionem, illud di-
 scrimen modo in successione ab intestato esse sublatum et minime
 ad eam quae exiit condito testamento debere extendi. Neque uti
 supra monuimus ad ea recurrendum foret, cum idem legibus Co-
 dicis statutum repetitumque in *Nov. 84. c. 1. pr.* reperiatur, ac pro-
 inde IVSTINIANVS sibi metipsi contradixisse putandus sit, si exaequa-
 tis per *l. 14. et 15. C. de legit. hered.* vterinis et consanguineis in
 legitima successione nihilominus *l. 27. C. de Inoff. testam.* inseruerit
 eique per illas Codicis leges tacite obrogari voluerit. Nam haec
 leges similiter uti *Nov. 84. c. 1. et 118. c. 4.* ad consequentiam trahi
 possent, si sola adgnationis et cognationis disparitas in causa fuerit,
 cur vterini ab inofficiosi querela arcerentur. Multae vero in iure
 nostro occurrunt leges, quae duabus ex causis latae, vna remanente,
 vim suam retinere. Sic lex Falcidia adhuc viget, quanquam altera
 causa et forsan primaria, ut vectigal aliquod de hereditatibus aerario
 inferri possent, iam ante Iustiniani tempora cessauit; remanente altera,
 ne testamenta desituta fierent. Sic Senatusconsultum Velleianum
 adhuc obtinet, ne vxor ad inopiam temeraria intercessione rediga-
 tur, licet Romanorum zelotypia a Germanorum moribus et ratione
 viuendi multum abhorreat. Plura adducere possemus, si animus
 esset Glossatorum exemplo regularum iuris enumerare fallentias.
 Pari modo sed minus recte etiam allegatur: *vbi eadem ratio ibi et
 eadem legis dispositio*; iam exaequauit IVSTINIANVS vterinos consan-
 guineis in successione ab intestato; hinc quoque eadem iura illis,
 quae his, contra testamentum attribuisse censendus est. Quod ar-
 gumen-

gumentum eo redit, vt querelam secundum ordinem et ius succedendi ab intestato ordinandam, ideoque conquerentes eo ordine, quo ad successionem legitimam vocantur, admittendos esse, statuendum sit. Sed causam testati et intestati multum inter se distare, cum vtraque diuersum constituat genus, neque ab vna ad alteram, vti a genere ad speciem procedere conclusionem, quis est qui ignoret? Quod si enim a successione ab intestato ad facultatem querelae instituendae duceretur argumentum, necessario inde flueret, vt omnes qui ius in illa habent, quocunque gradu vel sint constituti, etiam hanc mouere possent, adeoque fratrum liberi contra testamentum patris, minus plene adoptatus, cui IUSTINIANVS ius succedendi ab intestato dedit, contra dispositionem patris adoptantis audiendi forent, neque vlla excogitari posset ratio, cur illis per *l. 21. C. de Inoff. testam.* huic per *l. pen. §. 1. C. de adopt.* denegata fuerit *k*). Incassum igitur in auxilium vocatur iuris analogia, vbi legibus scriptis ac certis standum est, quae specialiter determinarunt, quibus portio legitima et quo casu relinquenda, eaque haud honoratis concedenda sit inofficiosi querela; quare RANCHINVS *l*) recte concludit, *aliter succedi ab intestato nullo facto testamento, aliter facto quidem sed rescisso per querelam: ac proinde fratres utrimque coniunctos succedere quidem simul cum parentibus, vterinos simul cum consanguineis, fratrum filios simul cum fratribus et parentibus nullo facto testamento, in querela autem et successione, quae inde fit, fratres utrimque coniunctos a parentibus excludi, vterinos a consanguineis, fratrum filios a fratribus et parentibus defuncti* Itaque nec suo nomine neque cum consanguineis querelam instituere possunt

E 2

vterini,

k) LINGLOIS ad *L. Decif. Instin. dec. 49.* RAGVELLVS ad *easd. p. 711. sq.*

l) de *success. ab intest. per Brenning.*

verini, quoniam obstat lex expressa eique tacite non obrogatur, neque rescisso a consanguineis testamento cum his in hereditate ad causam intestati redacta concurrunt, quippe tunc, uti VOETIVS *m)* merito existimat, melior eorum conditio foret, quibus denegata, quam illorum, quibus concessa fuit de inofficioso querela.

§. 9.

Neque praxi mediae graecitatis sustinentur, neque vlla Glossatorum authentica legi 27. C. subiuncta.

Graecos tamen vterinorum causae fauisse, auctor nobis est V. Cl. HEINECCIUS *a)*. Et sane non spernenda est illorum auctoritas in explicatione legum Romanarum, praesertim cum illis multa Iureconsultorum scripta, quae postea intercederunt, adhuc integra fuerint, mentemque constitutionum imperatoriarum eo facilius assequi potuerint, quo propius legislationi aetate accesserint. Suspectam nihilominus eorum esse fidem, cum ius Iustinianicum ex constitutionibus insequentium Imperatorum frequenter interpolauerint, et BYNCKERSHOEKIUS *b)* et multi alii obseruarunt. THEOPHILI vero locus *c)* ab HEINECIO excitatus non magis de inofficioso querelam vterinis tribuit, quam ipse Institutionum textus, ubi IUSTINIANVS simpliciter dicit: *Soror autem et frater turpibus personis scriptis heredibus ex sacris constitutionibus praelati sunt*: quem THEOPHILVS, ut breuitatis causa latinam versionem allegemus, ita circumscriptit: *Soror autem et frater defuncti testamentum tunc subuertunt, scriptis heredibus praelati, quando heredes scripti turpem gerunt personam* —

hoc

m) ad tit. D. de Inoff. testam.

a) HEINECCIUS loc. cit.

b) Obs. lib. VIII. c. 17.

c) §. 1. Instit. de Inoff. testam.

hoc enim sacris continetur constitutionibus. Vterque igitur generaliter de fratre et sorore locutus, sacras respexit constitutiones prioris scilicet Codicis; nam illum repetitae praelectionis Institutionibus recentiore esse constat; posuitque in relato, quod forsitan superuacaneum duxit plura de re aliunde satis nota addere, et quemque iuris principiorum non ignarum fratres tantum consanguineos intellecturum existimauit. Dudum HEINECCIO satisfecit Ill. RÜTTMANNVS d), qui illis Graecorum locis auctoritati legis 27 C. nihil decedere luculenter deduxit, et Graecos ab illius theoria non recessisse ipsis Basilicorum e) scholiis eleganter comprobauit. Neque docta quae deinceps in occidente inclaruit Glossatorum turba de legis 27. C. valore dubitasse videtur. Decerperant enim boni illi viri, cum dispositionem nouellarum constitutionum multis verborum ambagibus vti nauiculam vasti Oceani vndis innatare cernerent, adeo vt lectori illud MARTIALIS necessario accideret:

Leſtis vix tibi paginis duabus

Speſſas ἐσχατοκωλικόν, Seuerz,

Et longas trahis oſcitantiones

in auditorum vsum certas ex Nouellis positiones iuris nouissimi, quibus ipsis Codicis legis derogatum esse obseruarant; quae omnes postea sub Authenticarum nomine, et singulae quidem illi Codicis legi cui derogant, quo facilius mutatio inueniretur, ab incerto auctore adnexae sunt f). In eundem fere modum nonnullas quoque ex Nov. 118. desumptas ad nos transmiserunt, quarum quasdam enumerauit RITTERSHVSIVS g); tamen ne vllam quidem l. 27. C. subiungi

con-

d) in diss. de querela inoff. testam. fratribus vterinis haud concedenda.

e) Basil. T. V. p. 224 et 265.

f) SILBERRAD ad Heineccii Hist. Iur. lib. 1. S. 417.

g) ad Nouell. part. VII. in prooem.

contigit, ex quo patet, illis nullum de auctoritate huius legis obortum fuisse dubium, neque ei per Nov. 118. c. 4. obrogari existimasse. Testis adeo est bonus ille accursivs, qui in verbo *arceatur* dictae legis animaduertit, dispositioni eius non derogari per *Auth. Cessante C. de leg. hered.* in hac quippe solum differentia adgnationis et cognationis tollitur — *quia illud verum est ab intestato.*

* * * * *

Quae disputauimus ex iuris ciuilibus principiis, quibus testatori in nullo casu necessitas imposita portionem quandam fratribus veterinis relinquendi, adeoque his omnis omnino de inofficioso querela deneganda videbatur, multis, uti vocantur, theoreticis Iureconsultis, nonnullis etiam pragmaticis comprobata inuenimus. Placuit ea sententia CUIACIO *h*), IANO A COSTA *i*), CLAUDIO CHIFLETIO *k*), ANTONIO PEREZIO *l*), BYNCKERSHOEKIO *m*), NOODTIO *n*), VOETIO *o*) SAMUEL STRYKIO *p*), MENCKENIO *q*) compluribusque aliis. Neque tamen nobis ideo est animus pro summo decernere iure, et omne iudicium in re, ubi multa in utramque partem asserri possunt, excludere arbitrium; poterunt utique variae eum commouere causae, ob quas aequitati primas deferat, praesertim cum non omnia Romanorum instituta Germanorum indoli sint attemperata, penes quos maior honestatis splendorisque familiae semper habita fuit ratio; nec facile inter nos reperiantur, qui omnem erga cognatos amorem ciurantes, abiectissimum quemque iis testamento praesferre mallent. Absit igitur, ut eo repudiato, quod magis cuique insita suadet humanitas, aequitati quicquam detrahere velimus.

h) ad Nov. 84.

i) ad §. 1. Instit. de Inoff. testam.

k) de port. legit. c. XI.

l) ad tit. C. de inoff. testam. n. 12.

m) Obs. lib. II. c. 1. in fin.

n) ad tit. D. de Inoff. testam.

o) ad eund.

p) ad eund. in usu moderno §. 5.

q) ad eund. §. 5. per Schoene.

COROL-

COROLLARIA.

I.

Ius naturae successionem, nisi ex pacto, ignorat.

II.

Gens creditrix iure se immiscet bello debitoris.

III.

Pacta principis captivi non obligant populum.

IV.

Respublica omni carere potest iureiurando.

V.

Iura regalia contra principem non nisi immemoriali tempore praescribi possunt.

VI.

Vna modo est legum interpretatio videlicet doctrinalis.

VII.

De controuersis ex testamento transigi nequit nisi inspectis et cognitis testamenti verbis.

VIII.

VIII.

Locupleti filiae pater dotem non constituere debet.

IX.

Liberi iuste exheredati in computatione legitimae partem faciunt.

X.

Inofficiosa donatio solummodo in tantum, in quantum laedit legitimam, rescinditur.

XI.

Distinctio inter feudum constitutum et constituendum non est inanis.

XII.

Torturam perpeffus, probata licet innocentia, impensas in iudicium criminale factas ferre debet.

Göbinger, Diss., 1784 (1)

ULB Halle

3

002 274 68X





16 1784,9 9/1
VTRVM

NOV. CXVIII. C. IV. LEGI XXVII. DE INOFF.
TESTAM. OBROGET

FRATRIBVSQVE VTERINIS

TVRPI HEREDE SCRIPTO LEGITIMA

RELINQVENDA SIT NEC NE?

DISPVTTATIO

SVB AVSPICIIS REGIIS

EX DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM

ORDINIS

203
SVMMS IN VT

DIE X.

PVBlicAE

HERMA

LITTERIS

